



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Leges Imperatoris in adjutorium Ecclesiae licet assumere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

si in habitu laicali reperiat, & delinquat, privilegium fori non amittit, *cap. contingit*, & ibi Abb. *cap. in presentia de sententia excomm. clem. 1 & 2. de vit. & honest. cleric.* & Diaz. *in pract. crim. cau. c. 69. & 70. n. 2.* & Farinac. *in pract. crim. qu. 8 n. 60.*

Quæti nunc potest de statuto Principis secularis, quo cavetur, quòd oblato juramento litis decisivo, illud præstare debens, duobus intortitiis accensis genibus flexis coram altari, quòd in loco tribunalis esse debet manibus super sacrosanctis Evangelii positis, jurare teneatur, imprecando iram Dei, & vindictam contra Ananiam, & Saphiram conjuges mentientes illaram, aliasque penas in eod. decreto appositas, si indicto ejus juramento mentiatur, & ulterius, quòd faciat puram, & meam donationem fisco seculari de quadam pecuniarum summa, pro qua contra ipsum realis, & personalis executio fieri possit absque aliquo processu, & scriptura casu, quo iurans reprobaretur, si clericus conveniat laicum, quo casu regulariter forum rei sequi debet, *c. si clericus, c. cum sit generale. de for. comp. & Oldr. consil. 83. n. 3.*

4 An clericus, † cui coram iudice laico juramentum sub dicta forma defertur, illud ad formam dicti decreti subire teneatur, vel forma sit rejicienda, & certum est, quòd decretum Principis secularis super forma juramenti in foro seculari præstandi non ligat clericos, quia illud juramentum est litis decisivum, *c. & si Christus. de iurejur. l. 2. l. admonendi, & l. iusturandum. eod. tit.* propterea, licet clericus agens contra laicum coram iudice seculari subijciatur legibus illius fori, hoc procedit, in præparatorijs, & ordinatorijs litis, in quibus servantur leges & statuta fori, in quo litigatur, secus in deci-

foriis Abb. *in d. c. Ecclesia S. Maria. n. 25. in fin. & ibi Dec. num. 43. & 44. & Felyn. n. 55. & 81. de constit. & Corn. d. consil. 114. n. 4. in princ. vol. 2.* † quia statutum, vel consuetudo laicorum non potest astringere clericos, cum imperiali iudicio non possint ecclesiastica jura dissolvi, *capitulo 1. distinctione 10. capitulo qua in ecclesiarum de constit.*

Licet enim clericus actor forum rei regulariter sequi debeat, *cap. experientia. 11. quest. 1* subijcitur tamen foro seculari jure Pontificio, † quia Papa potest iudicibus secularibus causas clericorum delegare, *c. Mennam, 2. q. 4. Abbas in eod. cap. ecclesia S. Mariae, n. 6. & Felyn. etiam num. 6. vers. & pro limitatione*, sed non sequitur, quòd decretis Principum, vel legibus municipalibus in decisorijs subijciantur. Abb. *in cap. fin. n. 3. de reb. Eccl. non alienan. cum aliis supra deductis*, præsertim in juramento præstando sub dicta forma in foro seculari coram multitudine laicorum intortitiis accensis, & genibus flexis, stante, † quòd clericus est major quocunq; laico, *c. 1. in fine. 17. dist. c. qui dubitet. 96. dist. cap. duo sunt. 12. q. 1. & c. 1. §. quia verò. de sac. vnt.*

Sacerdotes à Deo Dii, † & quandoq; Angeli appellantur, Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices: *Exod. c. 22. ego dixi Dii estis, & filii excelsi omnes: psalm. 81. cap. sacerdotibus. 11. q. 1. cap. futuram vers. vos à eminent. 12. q. 1.* Sacerdotes enim à Regibus sunt honorandi, & non iudicandi *d. c. sacerdotibus* indignum quippe est, ut sacerdotium senatus iudicet, cum pateat populum sequendum non esse, sed docendum, ut inquit, Baron *Annal. Eccl. 904. §. Episcopi*, & cum salva sacerdotali dignitate, forma dicti juramenti ecclesiasticis per-

N sonis,